

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

CANTICO ISRAËLITARUM

AD

BEERAH,

Numer. XXI. 17. 18.

quam,

CONSENSU AMPLISS. FAC. PHILOS. IN ACAD. AB.

PRÆSIDE

JOHANNE BONSDORFF,

Litter. Græcar. Prof. Ord.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBJICIT

PETRUS GUSTAVUS BONSDORFF,

S. Vener. Consiſt. Borgoënsis Notarius,  
Wiburgenſis.

In Auditorio Med. die

Maji MDCCCXV.

horis a. m. confvetis.

---

AEOË, TYPIS FRENCKELLIANIS,

DISSERTATIO ACADÉMICA

CHRISTOPH. LEIBNIZIUM

REDACTA

ANNO 1704

UNIVERSITATIS ALMAE MATERIAE

JOHANNES BONSBORF

ALMA MATER

UNIVERSITATIS

ALMA MATER

PETRI ET PAULI

UNIVERSITATIS

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER



**M**aximorum, quibuscum Arabiae, desertæ æque ac petreæ, perpetuo luctandum est incolis, soli cœlique incommodorum, haud immerito aquarum habendam esse inopiam, nulloque pacto, nisi aquam pluviam, cujus item parcissima est loci natura, puteis atque cisternis, vel in ipsis solitudinibus, huc atque illuc excipere & in futuros usus reservare scierint hodieque scirent indigenæ, regiones usque adeo siticulosas, ut nulli existant perennes vel rivuli, hominibus antiquitus, ad hunc usque diem, inservire potuisse domicilio, satis docent, & sacræ paginæ, & qui terram hancce currente tempore visiterunt Peregrinatores celeberrimi. Intelligitur vero hinc, quanti, sic stantibus rebus, deserta Arabiae pervagaturis Nomadibus momenti sit, puteorum atque cisternarum, unde aquam & sibi & pecori urgente necessitate haurire poterint, situm cognoscere, quamque bene sibi suisque consuluerit Moses Israëlitas in terram Canaanæam traducturus, quod cursum ad  
A loca

loca probe a se cognita, in quibus ipse olim, secundum *Exodi III. 1*, greges paverat Soceri, mox ab initio itineris flexisset, hæc autem relinquens, affinem suum *Chobab*, virum e Midianitide oriundum, qui utique, ubinam daretur cisternas offendere, castraque ideo ponere conveniret, optime noverat, sibi, ut *Numer. X. 29. seqq.* edocemur, fecisset comitem. Hujus namque affinis beneficio factum præcipue videtur, ut Israëlitaë, licet aquæ aliquando, aut amaritudinem, aut omnino penuriam, dulcium Nili undarum memores, molestiarumque itineris pertæsi, conquesti sint (a), siti tamen enecti non perierint, verum ubique locorum, quorsum castra promoverent, aqua fatiati fuerint, immo ad sic dictum *Beerah*, in arenti deserto, cisternam, Cantico, *Numer. XXI. 17, 18.* exstante, celebratam, invenerint.

Sensum vero Cantici hujus cum minus recte percipisse videantur Interpretes, liceat nobis, quid, ex nostra sententia, in recessu habeat, paucis exponere.

Observamus itaque primo, vocem כַּיָּר, non puteum, sed cisternam, loco nostro significare. Cum enim v. 16 dictum sit, Israëlitas venisse ad כַּיָּרָה h. e. locum τω: כַּיָּר insignem, inferius autem commate 18. perhibeatur, eos (nulla alia statione intercedente)

---

a) Cfr. *Exod. XV. 22—25, XVII. 1—8, Numer. XX. 1—12, XXI. 5.*

te) מַמְרֵי h. e. e deserto (b) profectos fuisse *Matthanem*; clare admodum patet, *cisternam in deserto effosam* tanto majori jure esse intelligendam, quo certius constet, puteos proprie sic dictos in desertis Arabiæ haudquaquam existere, vocabulaque בְּאֵר & בַּיַר sive בּוּר, quia ejusdem sunt originis, ut & maxime cognatæ significationis, promiscue de *puteis & cisternis* in V. T. libris adhiberi.

Deinde monendum est, plures in Arabia hodieque existere clandestinas & vulgo minime cognitatas cisternas (c); teste vero **DIODORO SICULO** (d), in-

A 2

co-

b) Jure omnino observat **DATHE**, ultima verba versus 18: מַמְרֵי וּמְרֵי ad continuatam v. 19 stationum populi Israëlitiçi descriptionem, non vero ad carmen antecedens, pertinere. Quum vero, pro lectione vulgo recepta מַמְרֵי, auctoritate Alexandrini Interpretis, και απο φρεατος vertentis, permotus, וּמְרֵי legendum esse postulet, in eo quidem, repugnantibus, quotquot sunt Codicibus, reliquisque antiquis Interpretibus, minime videtur audiendus. Docente præterea contextu, מַמְרֵי ipso sensu idem valere ac וּמְרֵי, neque Alexandrinos Interpretes lectionem a vulgari diversam secutos esse, facile dixeris.

c) Expresse hoc quidem testatur **SANDYS** *Travels* p. 297. *Edit. VI:ta.*

d) *Biblioth. Hist. L. II, C. 48, coll. L, XIX, C. 94.*

colis Arabiæ, inde ab antiquissimis temporibus, communi receptum fuisse usu, *cisternas desertorum*, utpote ita constructas, ut, fundo quamvis amplissimæ, orificiis tamen præditæ fuerint perquam exiguis, ne a peregrinis vagabundis, aut omnino hostibus incurfantibus, detegerentur & exhaurirentur, obstruere reliquoque solo adæquare.

Quæ vero cum ita sint, in eam facile adducimur opinionem, cisternam loco nostro commemoratam ostio item clausam fuisse & obtectam, ducesque Israëlitarum, simul ac ad locum, ubi sita esset, Chobabo, ut videtur, præeunte pervenisissent, baculorum, quos honoris causa gestabant, ope, cisternam hancce *inquisivisse*, & tandem *detexisse*. Quemadmodum enim nihil cogitari possit magis absolum, quam quod vulgo Interpretes urgent, *Duces* atque *Principes* Israëlitarum, *puteum*, cujus loco nostro mentionem factam esse judicant, *effodisse* & *excavasse* (quæ tamen *servorum*, ut *Genes. XXVI. 15.* seqq. testatur, propria erat occupatio), & quidem *baculis* suis (!); ita neque ex altera parte veri videtur dissimile, laudatos duces, loco *pedum* aut *manuum*, quibus aquam ex arena elicivisse h. e. cisternam clandestinam detexisse fertur Mahumedes (e), suos, eidem utique operi perfici-

---

e) Cfr. in hanc rem Disert. Cl. Dom. HJELT *de virtute Mahumedis, aquam ex arena vel petra elicendi*,

ficiendo convenientissimos, adhibuisse baculos; populum vero, dum primores ejus in cisterna detegenda essent occupati, ita omnino cecinisse (repetitis forsan vicibus):

“*Ascende h. e. in lucem prodi Cisterna!*” (f)  
 “*Can-*

f) Ponit quidem ROSENMÜLLER (in *Schol.* ad locum nostrum), Mosen Israëlitis promississe, se in regione, de qua sermo est, fontem antea ignotum inventuros esse, & re vera invenisse; atque proinde quoque verba  $\text{אֲנִי אֶפְעָל}$ , ex vulgari lectione, ita explicat, quasi jubeatur *fons e terra scaturire*: Sed si vel maxime Ipsi concedamus, in Regno Algier, teste SHAWIO, nonnunquam, in locis supra aridis, lacus reperiri subterraneos, immo in nonnullis Arabiæ locis, teste NIEBUHR, aquam  $1\frac{1}{2}$  vel 2 pedum profunditate inveniri; frustra tamen inde colligit, Israëlitas, in arenti, ubi jam sublitterant, deserto, fontem sub terræ superficie latentem potuisse offendere. Quin potius, ex ipsa, non solum ascendendi, verum etiam veniendi & prodeundi notione, quam Arabico  $\text{يَئْتِي}$ , Hebræorum  $\text{הֵלֵךְ}$  exacte respondentem, competere novimus, concludere liceat, neque Hebraismo alienum esse, quem expressimus, sensum. Quid quod neque improbable prorsus sit, Israëlitas, ex eadem superstitione, qua hodieque Arabes, in piscium, ut gregatim alliciantur, incantationibus, suo utantur *Tâl! Tâl!* i. e. *veni! veni!* sive *prodi! prodi!* (vid. NIEBUHR *Reisebeschr.* T. II. p. 87.), formulam  $\text{אֲנִי אֶפְעָל}$ , eodem utique recidentem, adhibuisse. Hoc saltem certum est (quod

“*Cantu eam* (prodeuntem h. e. ubi prodierit)  
*celebrate!*“ (g)

tandemque, eadem jam detecta, denuo cantasse, hunc scilicet in modum :

“*En!*“

& HERDER *v. Geist d. Hebr. Poesie* Th. II. p. 235. testatur), moris et jamnum esse apud varias gentes, formulis incantatoriis aquam e terra quasi elicere. Immo nostrates, locos puteis effodiendis idoneos exploraturi, versus quosdam incantatorios, ut ipsi audivimus, resistent. — Ubi vero, pro lectione vulgo recepta *לע*, tertiam personam *לע*, auctoritate Codicis Samaritani & Versionis Vulgatæ, cum HOUBIGANTIO prætulere (quæ neque per se inepta est lectio), sponte sua sequitur, jam tum, cum Israëlita suum inceperunt canticum, cisternam detectam fuisse, locumque nostrum, hac admisa lectione, ita esse vertendum :

*Ascendit, h. e. in lucem prodit s. detecta est, Cisterna!*  
*Cantu eam celebrate!*  
*Cisternam, quam &c. &c.*

Utcunque autem legeris, ex ipso tamen membrorum commatis 18i parallelismo patet, hunc versum, ultima, quorum jam supra fecimus mentionem, verba si exceperis, e cantico nostro minime esse abscindendum.

g) Verbum *לע*, ubi cum *ל* construitur, *cantu celebrandi*



“*En! cisternam*“ (h),  
“*quam inquisiverunt* (i) *Principes*“,  
“*aperuerunt* (k) i. e. *detexerunt Primores populi*“,  
“*ducis* (Chobabi) *sub auspiciis* (l)“,  
“*cum baculis suis*.“

---

habere significationem, vix eget notatione. Vulgo habent: *accinite ei: Singet ihm entgegen.*

h) Nominativum absolutum בְּיָאֵר commode hac ratione ex primi posse arbitramur. Neque linguæ, quantum scimus, obstat genius.

i) *Inquirendi, explorandi, & pervestigandi* notionem, a propria *fodiendi & effodiendi* enatam, verbo חָפַר competere, satis docent *Jobi XXXIX. 32. Deuter. I. 22. Jos. II. 2. 3.*

k) Hac utique significatione, non vero propria *fodiendi* vel *excavandi*, כָּרַח occurrit *Pf. XL. 7; aures enim, effodere*, ibi nihil aliud est, quam *aperire*, ut bene expressit Arabs in Polyglottis. Atque hinc *detegendi* quoque notionem vocabulo nostro attribuisse videntur HESS (*Gesch. Moses* 2<sup>ter</sup> B. p. 173.) & *illustr. MICHAËLIS* (in sua versione).

l) In vocabulo בְּמַחֲקָא explicando maxime dissentiunt, & antiqui, & recentiores Interpretes. *Alexandrinus* habet:

bet: εν βασιλεια αυτων; *Vulgatus*: in datore legis; *Onkelos*: מַלְכֵי דִּי עֵי. scribæ; *Syrus*: ܡܠܟܝܐܝܘܬܝܢ i. e. & indicarunt (quocum idem fere facit *Arabs* in *Polygl.*): toto sic quidem cælo, ut dicitur, differentes. — Recentiorum vero Interpretum, plerique, cum *legislatore* vertunt, *Mosenque* intelligunt. Obstat tamen, *Mosen* nullibi in V. T. libris hocce ornatum esse titulo. — *Misfa* igitur hac interpretatione, alii, quos inter *HERDERUM* (i. c.) & *GESENIUM* (in *Lex.* sub voce קַהֲנִים) nominatos volumus, קַהֲנִים de *sceptro* explicant, ita ut sequenti מִשְׁעֵבֶתֶךָ, ex lege parallelismi synonymici, quem in verbis hifce quærunt, respondeat. Sed neque hæc nobis placet interpretatio. Tantum enim abest, ut loci nostri contextus synonymiam hanc exigat, ut potius eidem videatur repugnare, altero scilicet vocabulo in singulari & sine affixo, altero autem in plurali & cum affixo, existente. Ad locum vero *Genes. XLIX. 10*, quem excitat *GESENIUS*, quod attinet, de eo quidem sumus persualissimi, קַהֲנִים eadem omnino significatione, qua *Judic. V. 14*, ubi *ducem* sine dubio denotat, occurrere (unde & *LXX.* habet ἡγεμενος), sensumque loci, salvo utique parallelismo, ita esse constituendum: *neque sceptrum a Juda recessurum; neque ducem* (virum σκηπτερον) *ipsi defuturum.* — Multo minus placebit conjectura *Illustr. MICHAËLIS* (in *Supplem. ad Lex. Hebr.* P. III. p. 898.), verba מִשְׁעֵבֶתֶךָ בְּמַקְהֵי, quia absurda sibi videretur (ut est) sententia, *fontem fodisse Principes cum legislatore baculis suis, de portione utriusque distributa* explicantis; immo ne ipsi quidem auctori placuisse videtur deinceps, quippe quod locum nostrum sub

sub voce **משענו** retractare pollicitus, suo tamen promisso non steterat.

Nulli itaque dubitamus, quin, svadente Hebraismo, **פּרַחַם**, nostro quoque loco, de *duce* sit interpretandum. Quis vero alius, nisi *Chobab*, qui utique *κατ' ἐξοχην* hunc promeruisse videtur titulum, intelligendus? Ipse enim Moses hunc suum affinem, dum ei, ut Ibraëlitæ ad terram Canaanæam comitaretur, persuaderet, *Numer. X. 31*, sissitur allocutus: *noli nos deserere, nosti enim, ubi in deserto castra ponere conveniet* h. e. ubi cisternæ desertorum lateant (castra namque locare solebant Hebraei ad fontes, cisternas vel puteos, ut plurima testantur V. T. loca), *oculorum instar nobis eris* i. e. *dux nobis eris itineris*. Si vero *Chobab*, uti videtur, intelligendus est, **ב** illud **פּרַחַם** præfixum, aut ut sic dictum *societatis & auxilii* accipiendum erit, aut etiam, quod præferimus, valebit *juxta, secundum, ex præscripto*, sive quod idem est, *ductu atque auspiciis*, ita ut sensus sit, *Chobabum* loca inquirenda Ibraëliarum monstrasse Primoribus.

Quod si autem certo constaret, Hebræorum participia vices infinitivorum, ut apud Syros & Græcos, suslinere, ne sic quidem ablonum eslet, proptia verbi **פּרַחַם** significatione, *incidendi* scilicet, admisa, **פּרַחַם ב** per Gerundium in *do* (quod utique Hebræi suo infinitivo, præcedente **ב**, exprimere solent) exponere, unde sensus esset: *Primores populi cisternam inquisisse & detexisse, incidendo*, h. e. *incisione facta*, cum suis baculis. Hujus

vero apud Hebræos enallages, a BAUERO (in *Philol. Thucydideo-Paulina* p. 98 seqq.) allata, exempla, cum maxime sint dubia ut jure observat DATHE (in sua Edit. GLASSII *Philol. Sacræ* T. I. p. 351, 52.), non est, ut hac interpretatione diutius immoremur,

